

**Commentarivs Pavli Bernriedensis, Antiqvi Scriptoris, De
Vita Gregorii VII. Pontif. Max.**

Paulus <Bernriedensis>

Ingolstadii, 1610

XVIII. De obitu fratris Adalberti, secundum præsagium Doudæ, & quod
solam filiam piè fefellerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65381](#)

XVIII. Verùm cùm in multis manifestè Prophetiæ spiritum habuerit, verbi gratia, in obitu fratris Adalberti de Reitenbuch, qui cum ab ipsa bene valens discessisset, secundum præsagium ipsius, in proxima hebdomada migrauit ex hac vita; in hoc putamus pietatem eius, libenter prudenterque fefellisse, quod filia suæ *Herlucam* dixit superstitem fore, ne videlicet eam supra modum torqueret longa præscientia desolatio-
nis suæ.

XIX. Hoc ita se habere cùm sæpe *Herlucam* audierimus dicere, non arbitrati fuimus eam prophetare, sed optare. nunquam enim vidimus illam nisi cupientem dissolui, & esse cum C H R I S T O.

XX. In tanta verò patientia possidebat animam suam mitissima Douda, ut interdum *Herluca* videretur esse magistra. Nam, quod relatu iocundum est, dum quadam die de Ecclesia exisset *Herluca*, & algore turbata minus serenum vultum repræsentaret, imò repertos in foco titiones huc, & illuc, velut irata, disiectaret, consuetis eam blandimentis exceptit, dicens: Vbi fui-
sti filia, & vnde venis? In Ecclesia, inquit, fui, &, inde venio. Respondit: non credo. quia, si ibi fuisses, & inde venisses, suauorem orationis fructum inde retulisses,

XXI. Piget verò, & pudet dicere quantis criminationibus tanta innocentia Doudæ pulsata sit, quas omnes, veluti medicinas animæ, stupenda æquanimitate sustinuit. Tamen, quia pro veris criminibus grauiter notandus est continuò presbyter Eptatici Richardus, dicatur & hoc ad coronam Doudanæ sustinentiæ, quod falsò dictus est cum tam sancta foemina stuprum frequentasse.

XXII. Hic